



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Dig. 25. Quatenus intellectus tabellæ comparetur, ad tex. com. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

A

Digestio XXV. Quatenus intellectus tabella comparatur.

TEXTVS.

Εἰς δὲ τούτους, ὅταν ἐξ ὑπακματῶν ἢ ἰσῶν ἐκδοσῆται ἄνευ ἐξέταστος ὁρᾶς οὐκ ἔστιν ἔτι τὸ νοεῖν.

Oportet autem perinde atque in tabella, in quam nihil est actus scriptum: quod in intellectu accidit.

COMMENTARIVS XC.

DVo de intellectu proximis verbis affirmavit. Alterum, intellectus intelligentis passionem perfectionem esse, non corruptionem. Alterum, intellectum priusquam intelligat, potestate, non actu, intellectilia esse. Propterea exemplum tabellæ non scriptæ, quod subiungitur, ad prioris explicationem à Themistio, ad posterioris à Philopono & Simplicio existimatum est pertinere. Vtrumque arbitror ego voluisse philosophum exemplo vnico, vti intellectu se habeat, breuitate summa exponere. Nam etsi exemplum rhetorica potius probatio sit, vt in r. Rhetoricorum lib. cap. 2. traditur; eo tamen ad obsecutores, quæ in scientiis occurrunt, difficultates illustrandas persæpe vtimur. Hoc verbò aptissimum est ad id, quod agitur, explicandum; quod proprium exempli munus est. Etenim si declarare volueris, quemadmodum intellectu perficiens sit, non corrumpens aut transmutans passio; tabellam non scriptam accipias. In quadam litterarum elementa, apices, & characteres inscripseris; passionem quidem cerne quâpiam, dum ea suscipit, quæ inscribuntur: at perficientem, non corrumpentem aut illam à sua natura dimouentem. Perficitur namque tunc temporis tabella scriptoris opera, nec in ea quidquam corrumpitur; characteres illos suscipit, nec vilius rei iacturam facit; sed exornatur, perficitur, finem suum consequitur. Ita intellectum quoque intellectilibus formis absque rei vilius interitu docebis excoli, perfici, exornari: nec tã ab intellectilibus pati, vt Themistius loquitur, quam in ipsa quasi transire. Sin autem ruditatem illam & potestatem monstrare liberit, qua nullam ex se habet actu intellectilium illarum formarum sed est ad omnes potestate; illam ipsam tabellam monstrabis littera nulla, nulloque caractere ob signatam, sed ad cuiusuis ob signationem aptissimè comparatam. Similitudo porrò illa, quam Auerroës addit; quemadmodum tabella tum actu primo characterum caret, tum secundo specierum intentionalium, quibus aspectum mouet & actu secundo sit sensilis; sic intellectum sua natura, tum intellectilibus formis, tum ipsa intellectione carere: vt vera esse concedatur, nihil tamen est ad rem. Cùm Aristoteli propositum sit solam intellectilium formarum carentiam ostendere. Deinde intentionales species in sensu, atque intellectiles in intellectu ab intellectione diuersas Auerroës accepit: quorum neutrum puto ego verum esse, neque ab Aristotele, veteribusque peripateticis admittum.

Exemplorum vnu.

Intellectus vultus in tabella non scripta.

Auerroës.

Cuius scriptoria potius, quæ pictoria tabella.

Plotinus.

Proclus.

Ceterum hoc exemplo abusi sunt complures. Nam vt à posterioribus incipiam; pictoriam tabulam intellexit Auerroës. Quod etsi ad id, quod quærebatur, explicandum, haud magnopere interfuit: & in Philebo Socrates apud Platonem, vnde hoc fortasse accepit philosophus, tum libro, tũ pictoria tabula similit animã fecit: scriptoriam tamen potius intelligere oportet. Si quidem ὑπακματῶν non pictoriam, sed scriptoriam tabellam, qua veteres olim utebantur; aut libellum ad scribendum comparatum, Aristoteles dixit; ἀπὸ τοῦ ὑπακματῶν, quod litteram significat. Cartam nunc nos diceremus, qua pro tabellis ad scribendum vtimur. At cur scriptoriam maluit, quàm pictoriam tabellam nominare? Eam opinor fuisse causam, vt accommodatum magis & simile exemplum esset. Cùm enim ea, quæ loquimur aut scribimus, ex intellectu proteniant; sintque loquutio & scriptio velut partus quidam & effectus intellectus: maiorem multò vidit esse eum intellectu affinitatem ac similitudinem scriptoria, quàm pictoria, tabellæ; atque illius potius, quàm huius, vsu consuetum doctrinæ modum seruari; qui est ab effectu ad causam, ex effectu naturam & conditionem causæ, tum inuestigando, tum explicando.

Ante Auerroëm autem Plotinus in extremo libro de sensu & memoria tabellam quidem seu scriptorium libellum dixit: sed minime probauit exemplum. Quòd anima cognitione nollet impressione formarum & quasi inscriptione ab obiectis facta costare; sed propria ipsius virtute & actione circa obiecta. Verùm aut calumniari libuit, aut philosophi sententiam assequutus non est. Neque enim is cognitionem negauit actionem esse ab anima protectam; neque cognitionem appellauit passionem, quòd ab obiectis imprimantur formæ (hac enim ex parte Plotino assensendum puto) neque demum hoc tabellæ exemplum eò spectat. Sed intelligere atque ad eò sentire passionem quandam esse affirmavit; quòd etsi actio sit, ea tamen tum in cognoscente facultate suscipitur, tum cognitæ rei forma est & similitudo; que dum in anima suscipitur quodam modo paritur anima rerumque cognitarum formis ceu characteribus inscribitur. At Platonium hominem carpendi Aristotelis occasionem arripuisse aut potius extorsisse mirandum non est.

E Quemadmodum nec Proclus miraberis in primum Platonis Alcibiadem; cùm disciplinas reminiscencias esse posuisset, animas negasse tabellas esse litterarum vacuas, quæ figuras accipiant extrinsecus. Sunt enim, inquit, semper inscriptæ, & ipse scriptor est intus. Neque tamen omnes inscripta legere possunt, vel quòd inscripta sint cognoscere. Quippe cùm ob generificam obliuionem oculus earum sit sordibus circumfusis atque ex ipsa obliuione in passiones inciderint. Solam igitur opus est auferre

quod obstat appositum. Habent enim animam in se ianuas veritatis, sed terrenis materialibusque speciebus oclusas.

Alexander.

Potius mirari possumus Alexandrum, qui in primo libro de anima capite de intellectu theoretico, cum intellectum sua natura nullum ens esse actu, sed meram potestatem atque ad intellectilia omnia promptitudinem posuisset; eum adiecit minus verè posse tabellam non scriptam comparari; quoniam tabella ens quodpiam est. Sed tabellam esse animam, & id, quod animam habet; intellectum autem esse potius ipsi inscriptionis carentiam similem, velut promptitudinem & facultatem inscriptionibus excipiendis accommodatam. Hinc secus, quam Aristoteles propositam dubitationem diluit. Respondit enim sicut euenit in tabella, ut ipsa quidem, dum inscribitur, pati videatur. Ipsa verò promptitudo & facultas in actum prompta nihil omnino patitur. Ita nihil intelligendo pati, sed animam, aut id quod animatum est.

Contra Alexandrum.

In cuius sententia explicatione multis modis peccauit. Primum; quod hoc non est Aristotelem interpretari, sed corrumpere; non illius sententiam sequi, sed labefactare atque euertere. Is enim γραμματεία dixit; Alexander autem μάλλον τῶν τῆς ψυχῆς ἀγγελοῦ, ἀλλ' ἢ τῆς ψυχῆς αὐτῆς, αὐτὸ δὲ τὸ γραμματείας ἴδιον τῶν ἑπιποῦντων ἐστίν. Deinde quoniam contra profus, quam Aristoteles, dubitationem eam diluit. Philoponum quidem reperies aliam quandam solutionem respondisse; ad eamque propositionem (quæ agunt & patiuntur communem oportet habere materiam) dixisse, eam in illis solis esse veram, quæ vicissim actione mutua & agunt & patiuntur. At hoc non est Aristoteli contradicere, sed doctrinam eius augere & locupletare. Alexander verò Aristotelis solutione contempta, quæ verissima atque ex cognitionis natura, & ijs, quæ de intellectu & sensu vi tradita fuerant; falsam aliam proposuit. Nec quisquam est, qui ignoret, aut actum omnem potestati aduenire atque in ipsa potestate suscipi; illudque ipsum fieri actu & suscipere, quod erat potestate atque ad suscipiendum aptum: aut intellectiōnem esse actum, qui in extraneum subiectum non transeat, sed in illo ipso intellectu suscipiatur, à quo producitur. Hæc fuit causa cur Aristoteles intellectum pati & suscipere intelligendo tradiderit; absque corruptione tamen: eumque propterea esse tabellam inscriptos characteres suscipienti persimile. Hoc solum interest, quod tabella substantia quæpiam est, intellectus qualitas & facultas animæ velut substantiæ.

Intellectus & tabella distincta.

Quod sit, ut characterum inscriptione tabella sola patitur inscriptionemque totam sustineat: intellectiōne autem tum intellectus, tum anima: sed intellectus primum & immediate, anima secundario atque intellectu intermedio. Nam omnis intellectio in intellectu statim suscipitur, cuius propria est operatio: tum verò in anima, in qua intellectus ipse sustentatur. Quippe vnum accidens est in tex. 14. libri quarti. Metaphysicorum:

non est alteri accidenti accidens, nisi quia eodem subiecto vtrumque accidit. Sic & volitiones omnes in voluntate primum, deinde in anima; & sensationes in sensu, tum in anima, ac deum in organo quoque animato; & materiales omnes qualitates in materia quantitate mediante, quæ primum est & proprium materie accidens. Tertium & vicinum Alexandri peccatum aliorum omnium caput & radix illud fuit, quod intellectum potestatem meram, non actum vllum esse putauit. Qua in re quantopere tum à veritate, tum à philosophi sententia aberrauerit, in superioribus à me non solum adnotatum est; ac præsertim in digressionem ad textum primum; & longa hoc loco Auctoris oratione prosequitur.

Postremò Iamblichum refert Philoponus eadem ea voce (γραμματεία) abusum fuisse ad Aristotelem in eam Platonis sententiam trahendum, qua in Menone is contendit, puerorum animabus, hoc est intellectui potestate, rerum omnium rationes à natura insitas esse; necesse scientias nostras esse nouas disciplinas, sed veterum recordationem quandam. Ecce n. inquit, γραμματείας dixit, ἢ γραφῆς non chartæ, γραμματείας autem, hoc est scripturam, non diceret, nisi

γραμματείας haberet scripturamque esset. Sed quoniam responderunt peripatetici, non absolute γραμματείας, sed γραμματείας ἔχοντες, tabellam non scriptam fuisse intellectum ab Aristotele comparatum: contendeat Iamblichus ἔχοντες pro γραφῆς dictum fuisse; nec prautionem, sed vtrum significare: non inquam scriptum non esse, sed male scriptum, quod exilis & obfusca litteras habeat. Sicut & ἀσύντακτος, priuatum vocem, appellamus eum, qui est ἀκλόνητος, qui nihil & obfcuram minulque sonoram habet. Quare ut eiusmodi vocem minus acutè & distinctè audimus; & tabellam exilibus atque obfuscis inscriptam litteris legendo non percipimus, sed in singulis hæremus verbis: ita intellectus etsi rerum rationes habeat ex sese, quia tamen obscuras habet, tenues, minimeque conspicuas; nequit eas ratiocinando percipere: immò nec eas, nisi aliunde adiutus agnoscat. Causæ rei exemplum illud fuerit, quod sunt qui chartæ inscribant litteras succo cepæ: sed hæ non videntur, nisi calefiat charta. Sic formæ in intellectu patibili inscriptæ, nisi in agentis intellectus conspectum veniant, non leguntur: sicut nec cernuntur colores, nisi lumine solis illuminentur.

Eadem fuit Marsilio Ficino sententia ad caput quartum libri Theophrasti de phantasia & intellectu. Et Prisciano quoque fuisse videtur ad caput nonum eiusdem libri, dum animam dixit etiam cum nihil cognoscit actu, esse tamen omnia secundum perfectionem essentialium & permanentem; & potestate solum accidentaria ad actionem, qua ea cognoscat actu. Et capite 18. Theophrastum interpretem adducit, intellectum secundum essentiam quidem perfectas habere species, at non plane sibi unitas & indiuiduas, antequam à primo intellectu perficiantur & quasi consecratur.

Verbum

Dialecticorum

Confu-
satio.

Verum immerito plane conatus est Iamblichus Aristoteli hoc imponere: mirorque nihil illi à Philopono pro Aristotele & peripateticis fuisse responsum. Quatuor enim facile poterant responderi. Primum; dubitari fortasse posse, num ea Platonis sententia fuerit. Quippe in Philebo aperte animam dixit esse velur librum, qui de nouo scribatur; aut tabulam, quæ notis in dies imaginibus pingatur, ut alias atque alias res per sensus suscipit. Deinde quidquid sit de Platone, certè tantum abesse, ut eam Aristoteles opinionem habuerit, atque hoc sensu γεγραμμένη exemplum attulerit; ut tum in superioribus, tum hoc ipso in loco intellectum affirmauerit, priusquam intelligat, nihil esse actum eorum quæ intelligit: atque ad hoc ostendendum exemplum illud induxerit. Tum verò verisimile non esse, eum in intellectus natura tradenda tam improprie loquutum vocibusque tantopere abusum fuisse, ut ἀγεσθαι pro κακογεσθαι, diceret: quemadmodum & impropria abutenque loquutio est ἀφρονον pro κακοφρονον appellare. Verum tandè intelligendū est, nil aperte magis ac proprie dici potuisse. Non .n. ἀγεσθαι dixit, sed ἡμῶν ἀγεσθαι ἢ τῶν ἀγεσθαι γεγραμμένων, in quo nihil actum scriptum est. Quasi hoc Platonis sententiæ opponeret, qui intellectum veluti tabellam litteris omnibus, licet obscurioribus inscriptam proponebat. Id verò cum de intellectu asseratur, priusquam intelligat; manifestum est de intellectu nōdum exulto & vā natura se habet, quem intellectum potestate vocamus, intelligendum esse. Is ergo tabella est non scripta, apta tamen ad scripturas omnes suscipiendas. Scribitur autem, dum intelligit ac rerum cognitiones sibi comparat. Ipsaque intellectio, ut intellectus actionem significat, aut etiam quadam ex parte sensus intellectum mouens (ut Socrates ait apud Platonem) scriptio est; ut autem forma intellecta & in intellectu suscepta, velut characteres & litteræ scriptæ. Intellectus porrò in habitu omnibus illis iam præditus atque instructus, velut tabella scripta. Is demum, qui actum eas percurret atque in se contempletur, tanquam is, qui tabellam scriptam inspicit ac legit. Hæc est tota cum intellectu tabellæ comparatio.

Tabella
scriptor,
abstracte
res le-
stor.

TEXTVS.

Καὶ αὐτὸς ὁ νοῦς ἐστίν, ἅπασι τὰ νοῦτ' ἐπὶ ἑσθ' ἃ
τῶν αὐτῶν ὕλας τὸ αὐτὸ ἐστὶ τὸ νοῦν, καὶ τὸ νοῦμενον.

Tex. 15 Est autem intellectus & ipse, quemadmodum intellectu. Nam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur.

COMMENTARIVS XCI.

Posterius dubitationis hanc esse solutionem omnes consentiunt. At non eandem omnes

A solutionis interpretationem adferunt. Dissensionis causa est vox illa (intellectilia. Nam cum intellectus responderetur intellectibus esse perinde ac intellectilia, materialia entia Auerroës, & S. Thomas exponunt: Græci omnes vel etiam Theophrastus apud Priscianum in lib. de phansia & intellectu cap. 19. entia immaterialia & abstracta. Quocirca Auerroës ut materialia, quæ composita sunt, non seipsis totis, sed per formam & quiditatem intellectilia esse antea dicebantur; sic intellectum aut intellectibile esse, nō seipso toto, sed per intentionem in eo existentem, hoc est per formam & quiditatem solam. Sanctus autem Thomas nō per suam essentiam aut quiditatem realem; sed per intellectibilem speciem, ut cætera. Itaque discrimen ab Auerroë positum, quod intentio, per quam intellectus intelligitur, est intellectus in actu, quia est immaterialis; intentio autem, per quam intelliguntur materialia est intellectibilis potestate, cum re ipsa materialis sit & sensibilis: non potest S. Thomas admittere, quoniam intellectibilis species utrobique immaterialis est.

Intelle-
ctus ut
intelle-
ctilia.

B Verum ut eos mittam intellectibilem vocent materialia perperam interpretari. Quemadmodum enim hæc non sunt simpliciter intellectilia; sed sensilia potius; sic ea vox absolute pronuntiat significare illa non potest: Sed immaterialia, quæ simpliciter & per propria essentia sunt intellectilia. Eo ipso argumento, quod dubitatio proponebatur, utrumque licet conuincere. Nam si ita res habeat; non erit igitur intellectus simplex & impermixtus: immo non minus, quam cætera, ex forma & habente formam compositus. Neque seipsum totum intelligeret, sed quandam sui duntaxat partem. Quod argumentum aut Philosopho diluendum fuit, aut illis certè interpretibus; si ea, quam illi autumant, est dubitationis solutio. Deinde intererit nihil inter intellectus & materialium rerum intellectionem; si utraque aut abstracta constet forma, aut intellectibili specie. Idem de substantiarum abstractarum intellectione dicendum esset: quas tamen Philosophus secundum suam substantiam intellectibiles esse voluit. Atque hoc ipso in loco in his, quæ sunt sine materia, idem esse dicitur, quod intelligit & quod intelligitur. Id verò eò magis urgebit Auerroëm, quod is intellectum nostrum vnam quampiam intelligentiam abstractam vniuerso humano assistentem orbi esse prodidit. Sanctus autem Thomas, dum intellectibilem speciem dicit, rem minimè necessariam dicit: in ijs præsertim rebus intelligendis, quæ sua natura immateriales sunt: Quorsum enim species illa ponatur? An ut obiectum fiat immateriale, atque intellectui simile? An ut cum illo coniungatur, & in eo suscipiatur? An ut à specie determinetur intellectus? Atqui intellectus immaterialis est sibi que tum simillimus, tum idem. Nec potest quidquam esse illi magis præsens & coniunctum; quam ipse sit sibi ipsi. Vide & summam existit determinatio. Quod si propterea queratur, ut quod erat potestate, fiat actu intellectibile; ut omittam, vnumquodque quatenus est ens, esse item intellectibile; sicut quatenus coloratur

Contra
species
intelle-
ctiles.

E MMMM

est aut sonorum, aspectabile est aut audibile: sanè quod materiale existit non fit actu intellectibile, nisi quatenus fit immateriale: at intellectus immaterialis est suapte natura. Nilque sapius habent in ore specierum harum fautores, quam ex phantasmatibus eas elici atque à materia ope agentis intellectus absolui. Sin autem non per speciem sui, sed per materialium rerum species is cognosci dicatur; multò minùs id audiendum est. Quoniam vnaquæque species illius rei solius cognitionem facere potest, cuius similitudo est, & vnde sumpta fuit. Deinde dum S. Thomas intellectum ait intellectibilem fieri per speciem, non sui, sed aliarum rerù intellectum; aut intellectum putat cum Alexandro puram potestatem esse, nec proprio constare actu, quo per se intellectibile sit; aut non posse perfectè in seipsum sese convertere atque actum illum suum intelligere; neque per se, sed solum ex accidente se intelligere; vt idem ille asserbat Alexander. Quorum sanè vtrumque is non obscurè significat: sed falsum est atque in superioribus satis superque confutatum.

His igitur prætermisissis Græcorum interpretationi standum est; intellectum quoque intellectibilem esse, quemadmodum intellectibilia; hoc est immaterialia & abstracta entia, quæ per se & essentiam propriam, non per aliud, sunt intellectibilia. Etenim ratio, quæ statim subiungitur, quoniam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur; manifestè ostendit intellectibilia fuisse appellata illa, quæ sunt sine materia. Voluit enim Philosophus simul exponere, quomodo dictum sit intellectum intellectibilem esse vt intellectibilia. Probatio hæc est: in immaterialibus idem est quod intelligit, & quod intelligitur; at intellectum esse immaterialem iam demonstratum est; in eo igitur ipso idè sunt hæc duo. Expositio autem hac probationis conclusionè continetur.

Cæterùm hisce verbis consueta breuitate quatuor complectitur. Primum, secus rem habere in intellectu, & immaterialibus, quàm antea de materialibus dictum sit. In materialibus affirmat aliud esse simum, aliud esse simo; aliud rectum, aliud recto esse: quoniam forma constant in materia. At in ijs, quæ sunt sine materia, idem sunt hæc duo, res & esse rei. Vnde alterum consequens est; intellectum non eodem, sed alio prorsus modo seipsum intelligere, quàm de materialium intellectione proditum fuerit. Hæc vt composita sunt, ita intelligi dictum est, non seipsis totis, sed formæ & quiditatis separatione à re, quæ illam habet.

Deinde cognosci, tum sensu aut phantasia, tum intellectu; tum alio, tum eodem aliter se habente. Intellectus, quemadmodum simplex, impermissus, & indiuiduus existit; sic seiplo toto; neque alio, hoc est sensu, aut phantasia famulantibus, nisi remotè, quatenus ad sui ipsius cognitionem ex aliorum cognitione peruenit; nec seipsum intelligit, nisi postquam fuerit singula factus; sed immediatè & proximè se ipse solus intelligit & contempletur.

A Tercium, vt antea simi & recti exemplis, quæ admodum materialia, tum naturalia, tum mathematica; ac tabella tandem similitudine quomodovniuersè cætera omnia intelligat, declarantur nunc separatatim substantiarum comparatione voluit simul explicare, quomodo seipsum intelligat. Vt enim illa seipsas intelligunt, ita & de intellectu cogitare oportet.

Quartum hoc ipso exemplo iurare voluit propositæ dubitationis dilutionem, aduersus illum quasi instandò. Intellectus non secus atque substantia illa seipsum intelligit; eademque de harù intellectione moueri dubitatio postulat; igitur propter eam dubitationè negandum est intellectum seipsum intelligere, aut simplicè & impermissum esse; sed eadem adferenda solutio. Communis autè illa solutio est, quæ modum intelligendi docet; quoniam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur. Hoc est non per aliquid aliud vt per formam & quiditatis materialia; sed seipsis intellectibilia sunt: quoniam sunt simplices actus & formæ, non ex materia & forma composita.

Hinc duplex intellectibilium genus existit: vnum actu, alterum potestate. Quorù alterum proprium, alterum impropriè vocat Philosophus. Nam simplices formæ & cum materia non permittit, vt intellectus & abstracta substantia, intellectuales actus sunt, quod antecedente separatione non egeant, sed seipsis totis, quemadmodum sunt, intelligi statim queant. At entia composita & quæ in materia formam habent, intellectibilia potestate; quoniam actus sensibilia sunt, & vt intelligantur, antecedere oportet sensum & phantasia, formamque & quiditatem à re, quæ illam habet, separare. Propterea abstractas illas substantias intellectibilium nomine appellauit: tū quod actu proprie & seipsis totis intellectibiles sint: tū ad materialium differentiam, de quibus antea dixerat (hæc enim sensibilia potius sunt, aut imaginabilia); tum demum vt similitudine significaret modum, quo intelliguntur. Nam vt materialia per sensum aut phantasia, sic immaterialia & abstracta docere voluit intellectu solo per se intelligi. Itaque & intellectibilia dicuntur, quod seipsis totis eiusmodi sint, & quod solo intellectu percipiuntur.

Cæterùm nõ hoc solum differunt à materialibus immaterialia, quod hæc per se & se totis intellectibilia sunt, illa per aliud & secundum partem verum etiã quod illa intellectibilia solum sunt; hæc sensibilia quoque; & quidem vt potestate intellectibilia, sic actu sensibilia. At rursum immaterialia tum alijs, tum sibi ipsis intellectibilia sunt; materialia, non sibi, sed alteri, sensibilia. Non enim in seipsum redire potest, quod materiale est. Ita in materialibus tum intellectibile ab intelligente, tum sensibile à sentiente diuisum est: in immaterialibus autem intellectibile & intellectus coniunguntur.

E Arbitror etiam verbis illis (nam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur) non modo contineri rationem, cur intellectus per se, non per aliud intellectibilis sit: verum responderi quoque ad id, quod dubitatio fuerat dictum, omne intellectibile fore intellectibile: atque

In immaterialibus idè res & esse rei.

atque ita totam eam dubitationem tolli. Respon-
 deri autem, eorum duntaxat, quæ sunt sine ma-
 teria, proprium esse, ut idem sunt, quod intelli-
 git & quod intelligitur. Duplexque potest esse ho-
 rum verborum sententia: quarum altera colligatur in-
 tellectu & immaterialia intelligere seipsa; quia cum
 sint sine materia, possunt in seipsa intelligendo
 sese convertere: altera respondeatur obiectioni,
 sola immaterialia simul esse intellectilia, & intel-
 ligentia; quoniam quod intelligens futurum
 est, immateriale esse oportet. Siquidem in-
 tellectio immaterialis actio est, qua res
 cognita, etsi materialis, euadit immaterialis in
 cognoscendum transita: & intellectus substan-
 tia impermixta & inorganica; materia vero infi-
 piens & stolidâ, omnemque intellectionem im-
 pedit & offuscatur. Tantumque abest, ut quod
 materiam habet, intelligens esse queat; ut si
 intelligi debeat, aut separandum sit à materia,
 aut cum intellectu coniungendus sensus vel
 phantasia; materiales scilicet & corporeæ vir-
 tutes. Concedamus igitur id, quod quatenus
 ipsum dicitur, reciprocè dici. At esse intel-
 lectile quatenus ipsum de solis immaterialibus di-
 citur, quæ per se & tota sua natura sunt actu
 & propriè intellectilia: Non de materialibus,
 quæ non quatenus ipsa, sed per formam & quidita-
 tem intellectus nostri opera separatam à mate-
 ria, intellectilia dicuntur; quatenus ipsa verò
 sensilia potius, aut imaginabilia. Sic enim
 in superioribus definitum audiuius. Propterea
 immaterialia sola ita sunt intellectilia, ut intel-
 lectus item sint; non materialia.

Ita dubitatio tota diluitur. Nam quod fortas-
 se obijciat quispiam, nondum haberi intel-
 lectum simplicem esse neque quidquam habens
 commune: Siquidem materialia quoque sunt
 intellectilia. Quare aliquid esse oportet intel-
 lectui & illis commune, quo intellectilia sint ambo;
 & aliquid rursum singulorum proprium, quo
 talia sint, & talia intellectilia, materiale aut
 immateriale. Primum de intelligentijs etiam
 separatimque substantijs proponi posset; quas
 simplices constat & impermixtas esse. De-
 inde illud ipsum diluitur, cum substantia illa
 atque intellectus immateriales esse affirmantur.
 Nam si materiæ communionem & permixtio-
 nem non habeant, alia superest nulla, nisi en-
 tis: qua sanè intellectile est vnumquodque.
 At entis ratio omonyma est, nec nullam præ-
 ter singula naturam significat, quæ cum illis
 compositionem faciat. Intellectus igitur atque
 immaterialia omnia cum nil, quod compositio-
 nem efficiat, aliquamque naturam significet,
 cum illis habeant commune, tum in se simpli-
 cia sunt, tum cum cæteris impermixta. Post-
 remò hoc ipsum sibi volunt illa verba (nam
 in his, quæ sunt sine materia, idem est quod in-
 telligit, & quod intelligitur). Omnem enim ab
 intellectu compositionem & mixtionem exclu-
 dunt nec aliam cum materialibus convenientiam
 relinquunt quam illam, quam dixi.

Hinc vero planè intelligas, intellectum
 nostrum immaterialem & immortalem Aristoteli
 fuisse. Etenim eum aperta oratione sine ma-

teria; & idèò secundum idem & intelle-
 ctum & intellectilem esse; non secus atque
 immateriales cæteras & abstractas substantias,
 tradidit. Quodque maxime obseruabis, de
 intellectu potestate sermo est, qui imperfe-
 ctus & materialis appellari solet. Id ex supe-
 riore contextu manifestè agnosces: in quo eum
 prodidit potestate esse intellectilia omnia, actu
 nullum, prius quam intelligat: velut tabellam,
 in qua nihil est scriptum. Post hæc enim
 statim subiunxit; hunc ipsum intellectum esse
 ut intellectilia, quoniam immaterialis est. At
 quoniam in superioribus eum docuit, tunc de-
 mum intelligere seipsum, cum fuerit singu-
 la factus; intellectum potestate intellectilem
 inques esse potestate remota; habitu autem
 constitutum; potestate propinqua; ac demum
 re ipsa & actu seipsum tunc intelligere, cum est
 actu. Atque hoc differt ab intellectibus separatis;
 quòd illi sunt intellectiles semper actu seipso
 intelligentes; nos ter autem interdum potestate,
 interdum actu.

Denique hinc etiam aduersus Alexandrum col-
 ligas intellectum nostrum puram potestatem non
 esse. Si. n. per se & essentia propria, ut immate-
 rialia cætera, is quoque intellectilis est; actum
 igitur quempiam & naturam habet, quæ per
 se intelligi possit; tum ab intellectu superio-
 re; tum à seipso; dum in seipsum conuertit-
 tur.

*Digressio XXXVI. Aduersus Philoponum Deum
 contententem intellectum dici
 non posse.*

Qua verò religione ductus Philoponus in
 Theoria tex. 9. Deum scripserit Aristote-
 li quidem intellectum fuisse; at id neque Pla-
 toni neque pijs dogmatibus consentire: eumque
 non intellectum, sed supra intellectum esse: &
 idèò *αὐτονοῦς*, hoc est prouidentiam nominatum;
 quòd *αὐτὸν ἴδῃ*, id est ante intellectum sit: mag-
 nopere mirandum est. Et nisi aliam ipse dubi-
 tationis solutionem adferret; existimarem for-
 tasse eum ita negasse Deum intellectum esse,
 quemadmodum Plotinus in libro de substantijs
 cognoscentibus cap. 13. & 14. & complures ve-
 teres Christiani scriptores, ac Dionysius præ-
 fertim Areopagita, illum dixerunt non esse ens,
 non substantiam; sed supra ens, supra substan-
 tia, omnique re, quæ dicatur aut cogitetur, multo
 meliorem; neque omnino posse infinitam à
 nobis eius naturam comprehendi. Cum tamen
 verissimè ac propriissimè vellent & ens
 & substantiam esse; sed meliori modo, quam
 ea, quæ creata sunt. Verùm Aristotelis solu-
 tione reiecta, dum aliam adfert, omnino se vo-
 luisse ostendit, Deum nullo modo nominandum
 intellectum esse. Cur Aristotelis solutione respue-
 ret, duas præterit causas. Primam, quòd Deus in-
 tellectilis quidem est ex se & propriè, nec tamen
 intellectus dici debet. Alteram, quòd vniuersalia ma-
 terialia propriè sunt intellectilia, & non intellectus.

MMMM ij

*li. & im-
 mortali.*

*Intelle-
 ctus non
 est pura
 potestas.*

*Intelle-
 ctus non
 est pura
 potestas.*

*Materia
 intelli-
 gionem
 impedit.*

*Intelle-
 ctus im-
 materialis*